



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro vitæ Iesu perfecta imitatione, virtutu[m]q[ue] & meritoru[m] ipsius
participatione, Precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

sibi soli, cui me totum debeo, quatenus anima mea possit huius calamitosæ vitæ æsummas sempiterno gaudio tecum in æterna beatitudine refici & exultare mereatur, Amen.

Iesus Christus vii suam glorificationem humanitatem omnesq; electas animas ex limbo liberatas Patri æterni conspectus gaudissime representavit.

GLORIFICATIO X.

Ave gloriosissime Rex regum, & Dominus dominantium, Christe Iesu: Adoro, benedico & laudo te pro illo ineffabili gaudio, quod sanctissima anima tua habuit, quando te in pignus & pretium redemptionis æternæ cum copiosa animarum multitudine ex inferno per te liberata una, tecum ascendentiura, & inestimabili gaudio iubilantium, Deo Patri presentasti.

Pro anime post hanc vitam perfectæ glorificatione, Precatio.

Tesu benignissime, Dei & hominum mediator, per illud suavissimum gaudium rogo te, vt in hora mortis meæ, sis animæ meæ pignus & pretium, persolvens omne debitum meum, placandus mihi Deum patrem & iudicem æquissimum, perducas animam meam ante conspectum ipsius placidissimum, repellens quosdam me omnes insidiantes mihi, atque querentes animam meam perdere, Amen.

Iesu Christo vii à Patre celesti data su omnia potestas in celo & in terra.

GLORIFICATIO XI.

Ave fons omnis gratiæ, & thesaurus beatitudinis æternæ Iesu elementissimus Adoro, benedico & laudo te pro illo ineffabili gaudio quod habuisti quando à Deo Patre tibi data est omnis potestas in celo, & in terra, remunerandi, ditandi & honorandi secundum liberalitatis tuæ magnificentiam omnes commilitones & amicos tuos, quos tam glorioso triumpho de tyrannica potestate liberaisti.

Pro vita Iesu perfectæ imitatione, virtutumq; & meritorum ipsius participatione, Precatio XI.

O Iesu suavissime, per illud gaudium suavissimum rogo te, fac me participi omnium laborum & operum sanctissime vitæ, passionis & mortis tuæ. Trahe me post te, vt libenter te sequar & per viam despectionis & tribulationis desideranter gradiar, quatenus tua gratia me confortante, & ducete, fidelissimus vitæ tuæ, humillimus & feruentissimus imitator inueniar in patientissima tribulationum sufferentia, deuotissimamq; virtutum imitatione, Amen.

Iesus Christus vii plenum ius & dominium super cyclos suos suscepit à Patre electos & amicos.

GLORIFICATIO XII.

Ave fons & origo, inchoatio & consummatio omnium honorum, mellisus mi Iesu Christe: Adoro, laudo & benedico te pro illo inestimabili gaudio, quod habuisti, quando Deus Pater donauit tibi omnes amicos tuos in æterna hæreditate possidendos: quando impleta fuit illa benignissima petitio & voluntas tua, qua dixisti: *Volo Pater, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus vt vbi ego sum, illic sit & minister meus: hoc est, vt omne gaudium & omne bonum quod tu ipse & ego sumus, ipsorum sit finis sine.*